

[Faint, illegible handwriting on aged paper]



1674.2.

511

DECAS
PROBLEMATUM
LOGICORUM,

De

ARGUMENTI

Definitione & Distributione,

Examini publico subjecta,

In Servedano Gymnasio:

Junij, horis matutinis.

PRÆSIDE

M. MARCO FRIDERICO
VVENDELINO Gymnasij
Rectore:

RESPONDENTE

MARTINO CRAMERO Serveda-
Anhalt.

SERVEDÆ

Imprimebat Zacharias Dörffer,
ANNO M.DCXIV.



*Amplissimis, Prudentiâ, pietate longoq; usu pra-
stantissimis spectatissimisq; viris,
Dominis*

CONSULIBVS
&
SENATORIBVS

Laudatis. Reipub. Servestanae :

Mecœnatibus & fautoribus omni obser-
vantiâ & subjectione colendis.

*Χαριστίας ergo ταύτην τὴν δεκάδα Probl. Loc.
D. D. C.*

*Martinus Cramerus
Respondens.*



PROBLEMATATA LOGICA.

De argumenti naturâ & distributione.

PROBLEMA I.

An inventionis subjectum voce ARGUMENTI commodissimè exprimat? Affirm.



*V*ARIA vocis hujus, quæ τὸν πολυσήμων est, significata excutere, instituti nostri non est: sumserunt id laboris Logici alij quam plurimi. Sensu nobis eo accipitur, quo Scholæ Ramæ, cum logicæ Inventionis subjectum, Argumentum, esse asserit. Vox hæc quanquam veteribus & recentioribus Peripateticis non adeo est frequentata, imò nec omnibus Rami asseclis probata; (illis nimirum eius loco, locum, principium, medium, terminum, probationem, rationem, elementum &c: his documentum substituentibus) omnibus tamen alijs, quæcumq; ea sint, proprietatis & commoditatis palmam facile præripit. E ruinis igitur aliorum, sententiæ nostræ ut ascensum paremus; Sic arguimus.

Voces in logicis partim peregrinæ & obscuræ, partim subjecto Inventionis indigetando non adequatæ, non sunt ei præferendæ, quæ logicæ est homogenea, & subjecto inventionis denotando adequatæ: Atqui illiusmodi sunt omnes enumeratæ modo appellationes: Hujus vero solum argumentum. E.

Assumptionis membrum prius probamus: locus enim, principium, Elementum, documentum, longe generaliora sunt inventionis subjecto, cum cujusvis artis præcepta, loci, principia, elementa & documenta vocari possint. Taceo, quod locus, elementum & terminus, sub aliarrum disciplina-

rum cadant considerationem. Medium vero, probatio, ratio, angustiora sunt, quam ut totam subjecti hujus naturam exhauriant, cum usum saltem demonstrationis notent. Posterius membrum duobus nititur fulcris. 1. inductione aliarum artium, quarum nulla argumenti doctrinam sibi vendicat. 2. genuinam vocis hujus significationem, quam & declarandi & demonstrandi vim, subjecto inventionis nativam, ambitu suo includit. Ut videre est in plurimis exemplis à D. Goclenio parte 1. probl. log. probl. 10. & Tempello in apologia contra D. Piscatorem cap. 3. & Beurbusio in defensionis disquisitione tertiâ, allatis. Concludimus ergo, Inventionis subjectum voce argumenti, commodissimè exprimi.

PROBLEMA II.

An rectè argumentum definiatur, Notio secunda, seu instrumentum, ad aliquid arguendum affectum? Affirmat:

Ratio affirmationis est: quia & genere & differentiâ constat legitimâ: Genere; cum enim tota logica sit instrumentalis: subjecta eius particularia non possunt non esse talia. Et quid queso aliud argumenta, nisi mensuræ quædam, quæ rebus applicatæ, quid Logico ædificio aptum, quid ineptum sit, monstrant? Eodem sensu notiones quoque vocantur secunde. Differentiâ: Cum enim argumentum ens sit relatium, definiendum utique fuerat correlatum, fundamento & termino. Correlatum notat particula, aliquid, quæ thema est, seu simplex seu conjunctum. Fundamentum, voce affectum esse, exprimitur; quæ cum relationem inter argumentum & thema subindicet, causam simul argutionis activæ & passivæ explicat. Cur enim effectum à solâ arguatur causâ, in causâ est ratio, quæ intercedit causæ cum effecto. Terminum seu usum argumenti, ex usu artis & differentium tam grecorum quam latinorum plenissime vox arguendi exprimit: quæ tam declarandi quam demonstrandi vim argumento nativam & passim celebratam, aptissimè notat. Nil igitur quorundam hæc moramur latratus, nec receptum illum errorem, quo argumentum ratio rei dubiæ fidem faciens definitur, quamvis illustribus nominibus munitum. — Quis eim argu-
menti

menti majestatem & amplitudinem descriptione hâc obscurari, & nimium
contrahi non advertit? Cum usu declarationis plane neglecto, solam de-
monstrationem argumento vendicet. Reclamat hic usus: reclamant in usu
& ij, qui errorem in artem imprudentes admiserunt.

PROBLEMA III.

An argumenta omnia sint relata?

Dist:

Difficultates hîc occurrunt in utramq; partem non contemnendâ. Esse
namq; omnia argumenta relata, hæc videtur ratio sustinere. Causa
& causatum sunt relata, subjectum & adjunctum, comparata, dissenta-
nea, definitio & definitum &c. nec ullum contrarium dari potest exem-
plum. Sunt igitur omnia relata: Probatur antecedens, ex naturâ relato-
rum, quæ in omnibus est conspicua. Relata enim ad se mutuo referuntur:
nec esse vel intelligi unum absque altero potest. Contingit idem in causâ &
causato, subjecto & adjuncto &c. Nam ut causa sine causato nulla, subjectum
sine adjuncto nullum est: ita alterum sine altero intelligi non potest. Utq;
relatum sui correlati est relatum: sic causa sui causati, subjectum sui ad-
juncti.

Non esse omnia relata, demonstrari potest ratione non unâ; duæ nobis
sufficiant. Primum inclinât huc veterum & recentiorum Logicorum con-
sensus. Ad unum enim omnes relatis peculiarem inter argumenta locum
tribuunt, & argumenti speciem alijs contradistinctam faciunt. Excutian-
tur hîc omnes Peripateticorum philyræ, omnia nobiliorum Rameorum ar-
chiva. Id verò quâ fronte quæso, quâve temeritate, si relatum commune
genus omnium argumentorum? Deinde adstipulatur iisdem & hæc ratio.
Cum enim res quedam sint absolutæ, quedam relatæ, oportet quoq; no-
tiones, quæ è rebus sunt desumptæ, alias esse absolutas, alias relatæ. Hæc
partis utriusq; præcipua videntur esse munimenta.

Nos distinctione hâc litem componi posse existimamus. Argumentum re-
latum dici potest, vel ratione alterius argumenti, cui in Logicis respondet:
sunt enim omnia argumenta ὁμοῦλα: vel ratione rei, cui applicatur.
Priori modo, omnia argumenta sunt relata, quia ad se invicem omnia re-
feruntur, ut modo demonstratum. Posteriori, ea demum dicuntur relata,

qua rebus imponuntur naturâ suâ relatis, id est, quorum ita effecta sunt nature, ut una absq; alterâ esse & definiri non possit.

Ea verò absoluta, qua rebus naturâ suâ absolutis, ita ut una definiri possit absq; alterâ applicantur. Hec tertij problematis sit resolutio.

PROBLEMA IV.

An argumenta singula, sola, & per se
possint considerari?
distin;

Appendix hæc est, quam argumenti definitioni adjecit Ramus. Expunxit hanc in animadversionibus suis D. Piscator: sententiam hanc non mutat, sed immutatam repetit lib. 1. logicarum exerc. exerc. 2. Sect. 6. Restituerunt eâ, Ramæ & Scholæ principes, Tempellus & Beurbusius. Nos distinctione cum alijs & hanc litem componimus. Appendici geminus tribui potest sensus: vel quod singula, citra respectum & relationem ad correlata, possint considerari: vel, quod sejuncta ab enunciati collocatione seu axiomaticâ dispositione, possint spectari. Priori sensu accepta appendix, falsa est, & menti auctoris contraria. Quis enim sane mentis relatum absq; correlato considerari posse dixerit? Posteriori, verissima est, & cum auctoris mente conjunctissima. Rationibus assertionem hanc sequentibus probamus.

I. Omne Ens incomplexum per se extra dispositionem in complexo potest considerari. Atqui argumenta omnia sunt Entia incomplexa E.

II. Conceptus simplex simpliciter potest apprehendi. Atqui argumenta sunt conceptus simplices E.

III. Inventio argumentorum naturas considerat citra dispositionem. Ergo consideratio hæc impossibilis non est. Antecedens probatur: quia ut partes sunt distinctæ: ita modus considerandi argumenta est distinctus. Ut autem omne difficultatis nubilum discutatur, verborum, que in appendice continentur, sigulorum sensus ponderetur. Is à D. Beurbusio sic explanatur. Particula, Singulæ, singula argumenta, quatenus sunt principia ex quibus axiomata componuntur, & in quæ retexuntur eadem, in inventionem considerari, significat. Solæ, separatim argumentum ab argumen-

Argumento, (servatâ tamen affectione) tum concurrentes saepe plures affectiones, ut quæq; sola spectetur. Per se, notat proprio cuiusq; affectionis artificio unumquodq; argumentum, vel solâ etiam mente, absq; sermonis presidio, inveniri & considerari. Hec quarti problematis resolutio.

PROBLEMA V.

An prædicabilia & prædicamenta ab argumentis sint distinguenda?
distinct: resp.

Quæstio hæc gemina est: de prædicabilibus una: altera de prædicamentis.

De prædicabilibus hæc nostra sit assertio. Prædicabilia, ut à peripateticis vulgo tractantur, aliud nihil sunt, nisi Inventionis logicæ particula: proindeque eorum tractatio extra inventionem omnis est intempestiva, non logica, tautologica: Ratio est: quia membrum ab integro male avellitur: & avulsæ particula hæc, in Inventione nihilominus, nisi turpiter mutilanda ea, ταυτολογία iterande veniunt. Antecedens, nisi qui cum ratione insanit, negabit nemo. Quid enim genus & species, nisi totum & pars? Quid differentia, nisi vel forma, vel affectio formæ? Quid proprium & accidens, nisi adjuncta? At usus, inquis, prædicabilium magnus. Cedo quæso: 1. Modum ostendunt prædicandi. Quicquid enim de alio enunciatur, est vel genus, vel species, vel differentia, vel proprium, vel accidens. At, inquam, intempestiva est hæc præceptio, & falsa. Intempestiva, quia prædicandi ratio, non ad primam mentis operationem, quæ in Entibus incomplexis est occupata, sed ad secundam, quæ in complexis exercetur, pertinet: Præpostera igitur, vel in Inventionem, vel ante inventionem, de prædicatione sollicitudo. Falsa est eadem, & in reliqua argumenta injuriosa. Nam & causa de effectu, & dissentaneum de dissentaneo, & comparatum de comparato &c. non minus prædicantur. Aut igitur omnia argumenta prædicabilibus annumeranda: aut nullum. Sed alter usus forte præstantior, is est, ut gradus sint quidam, ostendentes in prædicamentis, quæ sint superiora, quæ inferiora: At, inquam, & hæc præceptio, & falsa, & præpostera est.

Falsa,

Falsa, quia ad rerum gradus discernendos Accidens & proprium per se aut nihil conferunt; Videatur Keckerm. lib. 1. Syst. log. cap. 6. aut certe non plus quam reliqua inventionis membra.

Prepostera est eadem, & in tyrones iniqua, quia artis usum efflagitat prius, quam artis precepta tradiderit. Iubet enim res distribuere, ante naturam distributionis explicatam. Cumq; distribui res legitime non possit, nisi definitione prius cognita, definitio vero absq; causarum notitia intelligi nequeat, iterum volatum tyroni imperat prius, quam pennas subministraverit. Concludimus igitur predicabilia ab inventione non esse sejungenda, sed suo loco ponenda.

De predicamentis quid sentiamus, quatuor assertionibus explicamus.

Prima assertio. Prædicamenta si sumas pro ipsis rebus notionibus logicis substantibus; essentialem præceptorum logicorum partem non constituunt. Rationes sunt hæ:

I. Subiectum operationis actualis, non est pars essentialis artis: Atqui res notionibus logicis substantes sunt subiectum operationis logicæ. Ergo pars essentialis logicæ non sunt. propositio probatur: Quia subiectum operationis est extra artem, id, in quo ars est exercenda. Assumptio, logicorum omnium consensu, datur.

II. Omnis præceptio logica conducit ad modum bene differendi. Præceptio de predicamentis ad modum hunc nihil conducit. Logica igitur non est. Assumptionem probo: Quia ad differendi modum nihil conducit nisi instrumenta logica: Atqui predicamenta non sunt instrumenta logica, quia res, quibus instrumenta sunt applicata.

III. Si substantia, quantitas, qualitas, actio, passio &c. essentialem præceptorum logicorum partem ideo constituunt, quia tanquam genera possunt considerari, speciebus suis essentialia; Sequitur, ligna, lapides, animalia, calorem, frigus, albedinem nigredinem, generationem, corruptionem, calceos, indusia, pileos, pallia, & nihil non pro essentiali logicæ parte habendum, cum superius & inferius ubiq; detur. Atqui absurdum hoc. Ergo & illud. Quod si dicas, summa tantum genera predicamentis esse annumeranda, refutabunt te predicamentales peripateticorum tabulae, in quibus ad imas usq; species descendunt. Videatur Eustacchius à Sancto Paulo, & Keckermannus in logicis.

IV. Logicam predicamentorum tractationem non esse, evincit filum tractationis, à principibus peripati hæctenus ductum. Definitiones enim, distributiones

butiones & affectiones predicamentorum planè sunt reales, metaphysicae, & logica tyronibus rerum usu destitutis intellectu impossibiles. Hinc videtur infelices quosdam magistros, in predicamentorum explicatione, biennium aut triennium desudare, & infarcire in predicamentorum suorum loculos, quicquid amplexu suo natura continet: magno temporis dispendio: majori methodi labe: maximo tyronum logicorum detrimento.

V. Ut se habet Rhetorica ad dictiones tropis, & sententias figuris exornatas: sic & logica ad notiones primas, secundis substantes. Atqui dictiones tropis, & sententiae figuris exornatae non constituunt partem essentialem praeceptorum rhetoricorum. Ergo nec notiones primae, secundis substantes, logicorum. Proba est comparatio in propositione instituta. Cum enim Rhetorica & logica artes sint instrumentales, eodem utiq; modo res, quibus instrumenta sua applicant, respicient.

Assumptionis veritatem quis est qui non agnoscat?

Secunda assertio: Prædicamenta si sumas pro serie rerum, secundum genera & species dispositarum: essentialem logicæ partem non constituunt: ratio, quia præceptio de generis & speciei natura, logicæ quidem est homogœna: at illa de singulis generum & specierum exemplis, uti in prædicamentis instituitur, minimè.

Deinde quid physica aliud, nisi series rerum naturalium per genera & species dispositarum? Ideò nec vero physicam essentialem logicæ partem facimus? Deniq; si omne id, in quo logica deprehenditur operatio, pro logico præcepto agnoscendum, nonne artes omnes & scientiae ad logicam accuratorem conformatae, particulae logices erunt dicenda: adeoq; ars, quæ ordinis mater hæctenus creditæ, monstrosæ confusionis asyllum evadet? Concludimus igitur, etiamsi in prædicamentibus tabulis operatio logica est conspicua, logica tamen civitate ut prædicamenta donentur, eas non impetrare.

Tertia assertio. Prædicamenta pro rebus ipsis notionibus logicis substantibus sumpta, argumentorum sunt exempla. Nam si consideres ea respectu inferiorum quæ continent, Generum sunt exempla. Cateroquin pro diversâ consideratione, ad diversa referuntur argumenta. Ut: Substantia, situs, ubi, ad subjectum. Quantitas, qualitas, passio, quando, habitus, ad adjunctum. Actio ad effectum. Relationem in oppositis Ramus explicat.

B

Quarta

Quarta assertio. Prædicamenta pro serie rerum secundum genera & species dispositarum, distributionis, quæ fit in species, exempla sunt exactissima, ut cuius constet.

Hactenus ergo quinti problematis resolutio.

PROBLEMA VI.

An loci dialectici rectè distinguantur in rerum & personarum locos?

Neg:

Non animus nobis est magnorum virorum nomina traducere, aut sornicum oculos configere, quod ingrati est animi & temerarij. Mentione igitur personarum omni sepositâ, de personarum & rerum locis, quid veritas & methodus præcipiant, modestè enunciamus, dicimusq; dialecticos locos male in personarum & rerum locos distribui. Rationes sunt hæc:

I. Membra distinctionis hujus non sunt ἀντιδιηρημένα. Vitiosa igitur distributio. Prob. antecedens. quia res & persone non sunt disparata, sed tanquam genus & species subordinata. Referendi igitur loci personarum ad locos rerum, non ab ijs distinguendi. Sic patria ad subjectum pertinet: sexus, mores, ætas, ad adjuncta. Parentes, ad causas procreantes. Educatio, ad causam conservantem. Res gesta, eventus, ad effecta. Mors ad privantia.

II. Membra distribuentia repugnant toti distributo. Vitiosa igitur distributio. Probatur antecedens. Quia distributum, Locus, est notio secunda. At membra distribuentia, patria, parentes, educatio, res gesta, notiones sunt prima.

III. Membra sine necessitate multiplicantur. Quid enim attinet alios comminisci locos, si ij, quos rerum locos vocant, sunt sufficientissimi?

IV. Locorum logicorum definitiones & distributiones in Logica sunt homogenea. At parentum, patriæ, educationis, rerum gestarum, eventuum &c. definitiones & distributiones in logica non sunt homogenea.

Conclusio

Concludimus igitur distributionem hanc accuratam & legitimam
non esse.

PROBLEMA VII.

An argumentum rectè distribuatur in ar-
tificiale & inartificiale?

Affirm:

Antiqua locorum est distributio, in artificiales & inartificiales, gra-
eci $\alpha\tau\epsilon\chi\upsilon\upsilon\sigma$ & $\alpha\tau\epsilon\chi\upsilon\sigma$ vocant, ut videre est apud Aristotelem. 1. Rhetor-
icorum c. 2: & alibi. Artificiales loci ij dicuntur, qui arguendi artificium
insitum sibi habent, ideoque alterius ope, ad fidem impetrandam, non e-
gent. Inartificiales, qui artificio hoc carent, & artificialium viribus utun-
tur.

Hinc igitur sic arguimus: Si argumentum aliud insitum sibi habet
arguendi artificium, aliud vero eo caret, fidemque totam ab alio suspen-
sam habet: sequitur, artificiale aliud esse, aliud inartificiale. At verum
prius. Ergo & posterius. Assumptionem duobus exemplis probamus.
Prius esto: Electi cadentes, gratiâ D E I non excidunt: quia a Spiritu S.
semper eriguntur. Assertio hæc fidem à nobis impetrat, propter additam
rationem a conservante causa, cujus ea est vis, ut electorum nobis perseve-
rantiam sine alterius argumenti ope facile persuadeat. Posterius esto.
Fides sola justificat, quia Paulus id affirmat. Assertioni huic fidem
non haberemus, propter additam a testimonio rationem, nisi ad te-
stantis effecta & adjuncta respiceremus. Quod nempe Paulus electum
D E I fuerit organum: quod Spiritus Sancti instinctu de salutis nostræ
negocio epistolas scripserit præstantissimas: quod denique omnem salutis
nostræ rationem habuerit perspectissimam: hæc quia in Paulo & è
Paulo esse nobis constat, testimonio illius assensum nil cunctabundi præ-
beremus: Absque his si foret, Paulo hoc assenti, non magis cre-
deremus, quàm Pontifici Romano operum merita
commendanti.

B 2

PRO-

PROBLEMA VIII.

An sint tantum X. argumentorum artificialium genera? Neg.

Circa numerum argumentorum artificialium, quot capita tot sensus. Inter peripateticos tanta est dissensio, ut singuli ferè suis abundant sensibus. A Ramis sectatoribus nonnullis X. argumentorum artificialium genera numerantur, hæc serie. I. Causa. II. Effectum. III. Subiectum. IV. Adjunctum. V. Dissentanea. VI. Comparata. VII. Conjugata. VIII. Notatio. IX. Distributio. X. Definitio. In quâ distributione multa desiderantur. 1. Dissentanea pro uno genere ponuntur, consentaneorum vero species singula singula constituunt genera. At, inquam, quæ causa, cur non & dissentaneorum species singula, genera efficiant singula? aut si dissentanea pro uno tantum habenda genere, cur non & consentanea? Idem de comparatis quæri quoque potest, nam & hæc sola, omiſſis speciebus, nominantur. 2. Omittitur notatum, distributum, definitum, quæ argumenta non minus sunt & correlata, suis relatis respondentia, quàm effectum vel adjunctum. 3. Negligitur integrum & membrum, genus & species, quæ sub distributione tanquam species comprehendi minimè possunt. Distributio enim, etsi sit ex integro & genere, in membra & species, non tamen vel integrum, vel genus, vel membrum, vel species dici potest distributio. Quæ, præter hæc tria, Timplerus desiderat in systemate suo; momenti nullius sunt. Nos igitur numerum argumentorum artificialium per σοφίας hunc in modum iniri commodè existimamus. Prima est: causa, effectum. II. Subiectum, Adjunctum III. Diversa. IV. Disparata. V. Adversa. VI. Relata. VII. Contradicientia. VIII. Privantia. IX. Paria. X. Imparia. XI. Similia. XII. Dissimilia. XIII. Integrum, Membrum. XIV. Genus, Species. XV. Conjugata. XVI. Notatio, Notatum. XVII. Distributio, Distributum. XVIII. Definitio, Definitum. Itaque duo evitamus incommoda: Excessum, dum ad infimas species ubique non descendimus: defectum, dum in summis generibus non subsistimus.

PRO-

PROBLEMA IX.

An argumentum artificiale rectè distinguatur
in primum & à primo ortum?

Affirm.

Distinguit Ramus argumentum artificiale in primum & à primo ortum. Illud suæ esse originis ait, & completi sub se, Consentanea, Dissentanea, comparata.

Hoc perinde esse ad id, quod arguit, sicut primum, unde oritur: ut sunt, conjugata, notatio, distributio, definitio. Sunt quibus displicet hæc distinctio: nobis illi displicent, placet distinctio. Ratio est: Illa argumenta, quorum $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\alpha\varsigma$, arguendi facultas & cognitio, à prioribus non pendent, quæq; ad aliorum constitutionem concurrunt, jure merito vocantur prima, uti vicissim à primis orta illa, quæ arguendi facultatem & essentiam, sui que notitiam alijs debent. At prioris generis sunt, Consentanea, Dissentanea, Comparata: posterioris, conjugata, notatio notatum, distributio distributum, Definitio definitum. Ergo prima illa, hæc à primis orta rectè dicuntur. Assumptionem probo: Quia definitio, distributio, notatio, conjugata, sumuntur, vel è consentaneis, vel è dissentaneis, vel è comparatis. Hæc vero è nullis se prioribus. Illa ex se cognoscuntur, hæc ex illis.

PROBLEMA X.

An Consentaneum rectè distinguatur in absolute & modo quodam consentaneum?

Affirm:

Ramus Consentaneum argumentum distinguit in absolute & modo quodam consentaneum: illi causam & effectum subjicit: huic, subjectum & adjunctum. Fatetur Scribonius, nescire se, quomodo intelligi debeat hæc distinctio. Adstipulatur ei vir quidam magni nominis, qui distributionis hujus mentem nunquam se satis affecutum esse ait. Impugnat eandem

B 3

Timple-

Templerus & alij. Nos omnibus illorum dubitationibus & rationibus posthabitis, distributionem hanc sic approbamus. Quae invicem essentiam dant & accipiunt, ea majori consensionis vinculo sibi sunt obligata, quam quae essentia jam constituta, alteri vel adjunguntur, vel subjiciuntur. Atqui prioris modi sunt causa & effectum, posterioris, subjectum & adjunctum. Ergo illa merito absolute, hac modo quodam consentanea dicuntur. Propositio simili illustratur. Sanguine junctos arctiori natura mutui affectus vinculo obligavit, quam eos, quos saltem familiaritas ususque conglutinavit. Assumptio constat. In causa enim & effecto consanguinitatis, in subjecto & adjuncto familiaritatis imago. Ecquid ergo in hac distributione vel obscuritatis vel difficultatis?

Hic terminus esto.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



V017


ULB Halle
003 252 043

3



Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

1674 2.

511

AS
MATUM
RUM,

MENTI

istributione,
o subjecta,
Gymnasio;
tutinis.

DE
RIDERICO
O Gymnasij
re;

DENTE
ERO Servesta-
ld,

S T Æ
arias Dörffer,
CXIV,

